

Dissertatio inauguralis medica de hypochondria ... / scripsit Antonius Eckert.

Contributors

Eckert, Antonius.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Budae : Typis Joannis Gyurián et Martini Bagó, 1841.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dbett3ue>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HYPPOCHONDRIA,
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS, SPECTABILIS D. DECANI, AC CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

RITE CONSEQUENDO

IN ALMA AC CELEBERRIMA R. SCIENTIARUM

UNIVERSITATE HUNGARICA


SCRIPSIT

ANTONIUS ECKERT,

ZSÁMBÉKINO PESTIENSIS.




In Theses adnexas disputabitur publice in palatio Universitatis
minore die Junii 1841.



BUDAE,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó,

1841.



REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO a GÁÁL

**CATH. ECCL. ALBA REGALENSIS CANONICO, ARCHI
DIACONO CATHEDRALI, PIARUM FUNDATIONUM ADMINIS-
TRATORI, S. SEDIS CONSISTORIALIS ET I.I. COTTUUM
STRIGON. ET BARANYA. TAB. JUD. ASSESSORI etc.**

V I R O
ERUDITIONE, PIETATE
BENEVOLAQUE HUMANITATE
INSIGNI
IN PERPETUAE VENERATIONIS GRATIQUE
ANIMI TESTIMONIUM HASCE EXIGUAS
LABORUM SUORUM PRIMITIAS
OFFERT.

AUCTOR.

Hypochondria.

Morbus ille singularis nervosus, decursum raro acutum, chronicum frequentissime observans, aetatem ut plurimum virilem infestans, symptomatibus praeter functiones organorum digestionis et chylicationis laesas, diversissimis minime tamen constantibus sed admodum variantibus insignitus, semper connexus cum peculiari aegrotantis in statum suum attentione, anxiaeque de valetudine sua sollicitudine, ita ut leviora licet, veluti gravia ominosaeque describat symptomata, — a plurimis Auctoribus Hypochondriae, Hypochondriasis, Mali hypochondriaci nomine comprehenditur, ex eo, quod morbus hicce potissimum cum affectione Hypochondriorum, sinistri imprimis incedat. — Morbi forma haec indeterminata characterem ejus essentialem constituit, et morbis chronicis id est, quod febris nervosa inter acutos. — Hypocrati m. siccativus, resiccatorius dicitur, apud Galenum et Aetium sub nomine passionis flatulentae describitur. Recentiorum nonnulli neuro-ataxiam, debilitatem nervosam, alii morbum eruditorum vocant; a Suediaur hypercinesia — hypererethisia et hyperaesthesia — nuncupatur; quam denominationem auctores complures uti Frank, Conradi Sprengel, qui hypochondriasim cum hysteriasi simul pertractant, ad morbum utrumque extendunt; cum tamen morbi hi, licet multum cognati, quoad momenta tum nosographica cum pathogenetica ab invicem differant: a plerisque seorsim quoque pertractari solent. Germanis morbus hicce: *Mißsucht*, a Kant: *Griffenfrankheit* dicitur.

Diagnosis morbi.

Morbum, cujus symptomata ita mutabilia et varia sunt, ut arduum et vix non impossibile sit, plenam illorum dare descriptionem, plerumque jam praecedere solet sensibilitas et irritabilitas exaltata, quae tamquam prodroma spectari possunt. Candidatus nimirum hypochondriaseos actiones ponit alias, aut saltem alio, ac secus consueverat, modo; laborem vix susceptum iterum relinquit, in animi adfectus generatim pronus facillime ira incenditur; non tamen impressiones solum ingratas sed et amoenas vividius multo, ac deberet, percipit, hinc repentinae illae animi mutationes, promptus ex hilaritate effreni in atram tristitiam transitus et vicissim; animi tamen morositas semper praevalet, unde per horas saepe sedet meditationibus profundis inhaerens. Sub his animi alienati phaenomenis habitus aegri raro mutatur, plerumque enim is sub decursu morbi etiam ulteriori laudabilis esse solet, ita ut optima frui videatur valetudine; non infrequenter tamen cum incremento morbi jam citius jam tardius color cutis inprimis faciei, quae subinde oedematosa redditur, evadit pallidus luridus, oculi annulo livescente cincti profundius in orbitam immerguntur, atque corpus emaciatur, et hinc morbus ab Hyppocrate resiccatorii nomen obtinuit. — Quamprimum autem valetudinis suae statum aeger anxie observare incipit, morbus qua evolutus censeri potest.

Cum vero hocce in morbo copiosa variaque occurrere soleant symptomata, opportunum erit conspectus commodioris gratia, eadem pro systematum organorumque, quibus se manifestant, diversitate, pluribus distinctisque comprehendere punctis; quare primo de phaenomenis in tubo cibario, dein systemate haematophoro, demum s. nervoso obviis dicam.

1. Symptomata laesae digestionis et chylicationis, annexis simul secretionum excretionumque abnormitatibus. — Lingva praecipue versus radicem raro pura existente, appetentia cibi abnormis plerumque observatur, subinde nimia,

frequentius tamen imminuta aut penitus prostrata; sitis vix non semper abesse solet. Functio ventriculi, digestio est tarda molesta ita, ut appetitu licet vigente cibum etsi moderata quantitate ingestum varia excipiant incommoda: sensus tensionis, ponderis, pressionis, inflationis, dolor in epigastrio jam obtusus jam acutior, subinde sensatio frigoris in ventriculo; non raro dolores in aliis abdominis regionibus cumprimis hypochondriacis, quibus junguntur pyrosis, ruminatio, ructus, vomituritio, ipsa emesis, qua vel solum ingesta vel mucus bilis educuntur; vexant praeterea abdomen flatus copiosi, enteralgia flatulenta, alvus morosa, constipa; nonnunquam tamen et alvus diarrhoica, quae symptomata morbi plerumque augescere facit, comparet. — Propensio haec in secretionem excessivam non solum ad tubum intestinalem restringitur, ubi secretio muci copiosior diarrhoeam aut febrim mucosam inducere valet, verum et latius extenditur; sic non raro succus pancreaticus mole nimia secretus e duodeno in ventriculum delatus vomitu ejicitur; per secretionem salivae adauctam ptialismus inducitur; ob proclivitatem in secretionem morbosam membranae mucosae organa respirationis: tracheam bronchia obvestientis, accedente potentiae nocentis influxu v. c. refrigerio, affectiones catarrhales facillime evolvuntur; quandoque glandulae lacrymales magis irritabiles facile lacrymas fundunt; symptoma tamen foeminis hystericis magis familiare, in quibus ob spasmum organorum lacrymalium fletum per horas etiam excurrentem observare licet. Perspiratio cutis est imminuta, quae tamen in quibusdam post motum corporis vel animi paulo validiorem usque in sudorem odore plerumque acido scatentem exaltatur. Secretio, excretio urinae hujusque conditio variat admodum, excernitur enim jam parca jam iterum copiosa, et quidem mox inodora aquosa — spastica, — mox flava rubicunda fusca turbida — jumentosa, — hypostatica. Non levem quoque influxum morbus exerit in perverteudas organorum genitalium secretiones: illa spermatis plerumque aucta deprehenditur, subinde tamen

penitus abolita. Apud foeminas symptoma hoc magis adhuc in sensus cadit: catamenia frequenter copiosa fluunt, mucus morbose secernitur leucorrhoeam inducens, secretio vero succi genitalis adeo adaucta et alienata locum habet, ut stimulus sexualis usque deliria quandoque exaltetur.

2. Symptomata circulationis abnormis congestionumque inde pendentium. — Functionum systematis haematophori in morbo praesenti, quin febris locum habeat, diversas observare licet abnormitates; motum cordis namque inordinatum deprehendimus, qui non raro adeo violentus redditur, ut palpitationes cordis molestae inducantur, alias vero contractiones musculorum cordis usque adeo relaxantur, ut pro momento gressum penitus sistant, atque sic motu omni silente lipothimiam inducant; hinc et pulsus arteriarum conditio variabilis esse debet, tangitur enim mox frequens, mox iterum rarus debilis irregularis. Ex hac pulsus irregularitate congestiones in diversas corporis partes non contingere non possunt, quippe per inaequalem sanguinis distributionem, quam cordis arteriarumque contractiones a norma tantopere abludentes necessario post se trahunt, fit ut eo tempore, quo partes quaedam penuria sanguinis premuntur, eodem aliae obruantur. Contingunt autem similes congestiones utplurimum in organa penetralibus organismi recondita, utpote impetui sanguinis ob teneritudinem mollitiemque facilius cedentia; et quidem frequentissime in encephalon et cavum abdominis, rarius in illud pectoris. Sub his congestionibus pars adfecta, — in qua non infrequenter et pulsatio sentitur, — calet, sicca est, pulsus arteriarum simul evadit frequens parvus duriusculus, extremitates vero frigescunt. Speciatim nunc, dum sanguis congeritur in capite: cephalaea, amblyopia, baryecoja, frequentius adhuc susurrus strepitus aurium cum metu apoplexiae, vertigo et similia induci solent. Congestione sanguinis in cavum abdominis locum habente, symptomata pro diversitate sedis, prout nempe intestina, ventriculum aut alia prehendit viscera, variant; sic sanguine in ventriculo congesto: di-

gestionis functio sufflaminatur, cephalaea, nausea, emesis, anxietas, frigus, sensus lassitudinis inducitur, simul facies pallet, labia tremunt, praecordia intumescunt, respiratio difficilis, pulsus parvus contractus non raro tardus redditur; dum sanguinis torrens intestina tenuia obruit: pulsus non adeo irregularis est, nec facies ita pallere solet, verum inquietudo anxietas major observatur, quae postrema singulari oculi habitu semet manifestat, respiratio est profunda gemens, adest porro anorexia, tensione tamen praecordiorum, nausea vomituque absente; aegri hoc sub statu pusillanimi, ad fletum proni et simul eloquentes esse solent, querelis suis, quae in deliria quandoque vera abeunt, aures circumstantium implentes, et tametsi de magna conquerantur debilitate, inquieti tamen continuo circumeursitant. Insultus tales longo saepe tempore, per horas plures imo dies durant, quo in casu pertinax alvi obstipatio semet associat; atque frequenti sua reversione emaciationem invitant.

Congestio ad intestinum crassum: calorem, pallorem faciei, alvi constipationem, sacralgiam, verbo omnia inducere solet symptomata topica, quae affectionem haemorrhoidalem insigniunt. Nec tamen semper sedem congestionis apprimè assignare licet, cum plures simul partes, nec non et alia viscera: hepar, lien affici possint. Dum sanguis in pectore congeritur: tunc aeger dyspnoea, asthmate aut tussi sicca continua affligitur, quod tamen symptoma viros hypochondriacos rarius molestans foeminis hystericis proprium est.

Ab eadem circuli abnormitate, quae congestionibus an-
sam praebet, pendet quoque pulsatio — momentosum illud phenomenon hypochondriacis solenne, — qua pulsatione plurimae partes corripì possunt, quaeve demonstrat vascula minima partis cujusdam naturam induisse arteriosam, unde fit, ut sanguinis metamorphosim negligendo, soli ejusdem motui inserviant; quippe arteriae et venae — vasa sanguinem moventia — se habent ad vasa capillaria — sanguinem mutantia — tamquam medium ad scopum; scopus enim

circulationis est metamorphosis sanguinis seu vegetatio ipsa; circulus autem medium ad finem eum obtinendum. Motus quidem sanguinis in vasis quoque capillaribus adest, sed si nimis acceleretur, incipiunt haec pulsare, sanguinis vero mutationem, cum mora ad opus hoc necessaria non concedatur, negligere. Si causam pulsationis hujus constituat stimulus quidam topicus, pars pulsans phlogosi corripitur, si causa haereat in arteriis sanguinem impetu majori advehentibus, vel venis eundem segnius revehentibus: congestio evolvitur; haec tamen et aliam agnoscere potest causam; nimirum influxus nervorum in una parte adeo saepe intenditur, ut vascula capillaria muneris sui — metamorphosis sanguinis — quasi oblita, huic solum promovendo inserviant, sicque motu sanguinis accelerato pulsationem inducant. Et sic res se habet cum pulsatione hypochondriacorum, quae jam in hac jam alia occurrit parte, quin functiones organorum notabiliter turbentur, quin structura organica patiatur, mutetur. Idem pene de congestionibus quoque sentiendum. Ex his ergo patet nec febrim nec inflammationem, sed tantummodo mobilitatem systematis nervosi nimiam, constituere causam pulsationis topicae et plerumque etiam congestionum hypochondriacorum. Atque de hisce phaenomenis tantisper fusius disserere mihi visum est propterea, quia haec duo — congestio nempe et pulsatio — ea symptomata sunt, quorum cognitio recta medico juveni prae aliis necessaria est, cum eundem minus cautum ad incongruam aegroque facile perniciosam seducere valeant therapiam.

3. Symptomata nervosa. — Tametsi symptomata enumerata cuncta in actione systematis nervosi abnormi fundentur: occurrunt tamen et talia, quae, quin semet ut adfectiones aliarum partium observationi sistant, immediate e systemate nervoso propullulant. Sic somnus generatim est inquietus somniis turbatus, brevi durans, vires aegri non refocillans, ita ut mane languidior cum cephalaea, subin vertigine lectum deserat, qui langvor nonnisi post prandium disparere solet. Raro admodum Agrypniae contrarium obtinet, ut nempe ae-

ger somnolentia continua laboret. Aliud symptoma n. ut jam annuimus, est debilitas et langvor muscularis singularis post captum somnum plerumque maximus; motum hinc paulo validiorem, laborem horrent aegroti; si tamen ad hunc vi voluntatis aut adjunctorum cogantur, eo tenore quo corporis activitas intenditur, lassitudo illa dissipari, corpus vegetius animusque hilarior evadere consuevit, ut adeo optimum, langvorem muscularem tollendi remedium constituat labor assiduus, tantummodo primum, quod debilitas apparens opponit impedimentum superare oportet. — Porro functiones sensuum externorum varia ratione a norma recedunt; praeter visus auditus alienationes praecipue tempore congestionis sanguinis in encephalon contingentes supra memoratas, olfactus quoque abnormis observatur, acie subinde nimia peccans, ita ut, quae sanis latent, res percipiat; unde fit, ut aegri per odora quaedam specifica jam grata jam ingrata animo linquantur. Sensus gustus ob mucum linguam obtegentem saepe obtusus fatuus, non infrequenter peculiariter alienatus et perversus accusatur, ita ut omnia linguae palatoque admota sapore eodem jam dulci jam amaro, jam salso aut acido insigniantur. Non minus et tactus pathologicus offenditur, nunc torpore nunc acie peccans. — Momentosas autem a recto tramite aberrationes offert sensus coenesthesia, s. communis, qui partim morbose exaltatus, partim indole sua perversus, catervae symptomatum ab hypochondriacis infamia notari solitorum occasionem praebet; sic sensationes diversae ingratae: pruritus molestus, sensus fornicationis infra cutim, dolores diversarum corporis partium aegrum torquent; frequentissime quidem dolor prehendere consuevit caput, subinde ad plagam hujus exiguam restrictus — clavus, — in paulo majori extensione — ovum hyp. — dictus, saepe ad dimidium caput extensus — hemicrania hyp., — non raro tamen transitorius et alias impetit partes: oculos aures faciem pectus, diversas abdominis regiones, nonnunquam et organa genitalia, quorum status etiam dynamico-organicus mutatus

est, ita ut aeger nunc impotentiam praematuram tristis accuset quandoque tantum transitoriam, dum alias iterum stimulo veneris nimio excrucietur.

Summi momenti est passio psychica, et morbum maxime characterisantes sunt mutationes illae, quas sensus internus experitur, quaeque in facultatibus intellectualibus contingunt.

Saepe in facultatibus reliquis: memoria, ratione nullas observare licet aberrationes, ingenio non raro eximio existente; verum phantasiam offendimus adeo exaltatam et alienatam, ut aeger, qui singularem anxiamque in statum valetudinis suae adhibere solet attentionem, ad judicia de statu corporis animique erronea, resultataque inde falsissima abripiatur; ob imaginationem quippe nimis irritabilem et evagantem sensationem omnem perceptam mire amplificat et auget, accedente nunc observatione in statum suum continuo directa, fit ut symptomata, quae in proprio detegit corpore, singulari modo exaggeret, eaque etsi levissima tamquam urgentissima et portentosa consideret metuaturque; atque haec idea tam pertinax esse solet, deque veritate ejus recte propterea, quia in sensatione morbosa fundatur, adeo convictus esse videtur, ut nulla contrarii argumenta admittat. Unde morbus a nonnullis nosologis ad vesanias relatus est. — Phantasia haec luxurians simul in causa est, quod hypochondriaci multa saepe phaenomena ac sensationes, quibus nullae respondent impressiones, fingant, immo nonnunquam talia, quae cum realibus in contradictione sunt, videant sentiantque.

Sequela naturalis anxiae hujus de valetudine sollicitudinis, morbosaeque imaginationis est, ut aegrotans semetipsum curare velit, atque hinc theorias cunctas avide arripere, omnes medendi methodos in corpore suo tentare, ac in effectus remedium adhibitorum scrupulose attendens, de virtutibus eorum incredibilia saepe et falsa praedicare solet; quare omnes Medicinae reformatores, aut novam saltem methodum profitentes praecipue si arcanis gaudeant, fidos omni tempore

in hypochondriacis deprehendunt assecclas strenuosque defensores.

Lectio itaque librorum medicorum copulata cum scrupulosa illa ridiculaque in statum proprium attentione efficit, ut ex unico saepe vili symptomate ad morbum fatalem perperam concludant. Sic dum aeger talis cordis palpitationem experitur: moerore affici solet non levi, autumans se vitio cordis organico: aneurismate polypo laborare; cum dolorem ventriculi ardentem percipit, summa corripitur anxietate, eundem veneficio aut vero scirrho evolvendo adscribens; articulis aliquantum dolentibus gravissimam adesse praetendit arthritidem; ex doloribus regionem lumbalem occupantibus ad calculos in renibus latitantes temerariam format conclusionem; dum tussi affligitur cum dolore pectoris juncta, phthisis evolutionem pusillanimus metuit; pruritum cutis animadvertens de psora contracta lamentatur; visu tantisper nebuloso, vel auditu paulo difficiliore reddito: amaurosimum vel cophosimum instare putat; susurru vero aurium et tinnitu locum habente: apoplexiam proxime imminere existimat; verbo: animum similibus spectris continuo sollicitando et angendo, omnique tranquillitate spoliando, carnifex ac tortor suimetipsius — Heutontimorumenos — evadit, sicque Melancholiae, a qua morbus noster alioquin gradu tantum differt, imo desperationi, Autochiriae viam praeparat.

Ita aeger anxius deque valetudine sua sollicitus medicum consulturus, huic morbi sui historiam cum omnibus minimisque enarrat adjunctis, et licet symptomata, quae non sunt pauca, vividis depingere soleat coloribus, plura tamen adhuc in charta consignata, ne scilicet quidpiam obliviscatur, perlegit puncta; medicinam dein efficacem impense petitam qua novam omni cum fiducia adhibet, ad cuius usum, si levamen ei accesserit, — quod plerumque fieri consuevit, modo medens patienter auscultando confidentiam sibi meruit — hunc laudibus suis ad coelos extollendo, cuilibet qua medicum perspicacem commendat, quem tamen simulac morbi symptoma-

ta revertuntur, amissa confidentia primus relinquit, opem alterius imploraturus. Simili ratione et amicos citissime mutare consuevit; est enim animus illi inconstans, meticulosus; cumque non solum de statu proprio, verum et de actionibus aliorum erronea ferre consuescat judicia, summe diffidens; quare societatem fugiens, solitudinem utpote phantasiae lusibus maxime amicam quaerit.

Quoniam morbus evolutus diu plerumque durat, evenit ut sub decursu ejus et alii evolvantur morbi, de quibus id singulare, quod aegri eosdem animo parato perferant, quin symptomata eorum ultra modum augeant, cum tamen ea ad hypochondriasim stricte pertinentia turpiter exaggerare soleant; nonnisi morbo illo accidentali et intercurrente superato, de discrimine in quo versabantur, nec non de praestanti sua natura firmaque constitutione, vi cujus illud feliciter evaserunt, eloquentia consueta disserere solent. Et reipsa morbos febriles quibus corripuntur, facilius longe ac sani, si iis impetantur, vincere consueverunt.

Decursus hypochondriae admodum irregularis est; morbus plene evolutus perennare plerumque solet, chronicus evadit; non tamen eodem semper tenore incedens saepe remittit imo subinde intermittit iterum revertendus, principio semel tantum per annum aestate vel autumno, aegrum per dies paucos aut etiam hebdomadas plures affligens; successive dein insultus jam statis jam incertis temporibus ingruunt frequentiores longioresque, donec tandem morbus continuus evadit. Insultus intensitate sua variant jam in uno eodemque individuo, eo magis in diversis subjectis, ita ut unum per similem insultum ad omnem occupationem inhabile reddatur, dum muneribus suis per annos praesse valet alterum.

A e t i o l o g i a.

Rem summi momenti in doctrina de Hypochondria constituit indagatio in naturam causamque morbi proximam, nisi

enim haec eruta perspectaque sit, therapia firmo destituitur fundamento.

Sunt autem de causa H. proxima diversae ab auctoribus latae sententiae. Veteres ut Galenus ejusque Asseclae morbum atrae bili adscripserunt, de cujus opinionis valore dicere superfluum esse videtur, cum cuilibet medicorum notum sit, antiquam de atra bile doctrinam nil nisi immaturae Physiologiae partum fuisse. Fr. Hoffmann causam morbi quaerebat in liene male adfecto; unde nomen germ. *Milzfucht* suam traxisse videtur originem. Ast cum organon hoc sub disquisitionibus anatomico-pathologicis e hypochondria defunctorum saepe integrum sanumque reperiatur, alias vero conditio ejusdem diverso modo abnormis deprehendatur, quin ulla morbi h. in vivo observata fuissent vestigia, patet: passionem splenis nullatenus constituere posse causam proximam H., atque hinc simul elucet denominationem: Hypochondriasis — naturae morbi minime convenire. — Doctrina ab E. Stahl proposita, quae morbum a stasibus sanguinis in systemate venae portarum locum habentibus derivat, praeterquam quod phaenomena morbi explicare nequeat, vel ex eo jam refelli posset, quod hypochondriaci non raro penes morbum suum rite digerant, bene nutriantur nec non provectam attingant aetatem.

Sydenham primus exstitit qui docuit: Hyp. morbum esse nervosum; atque post eum scriptores vix non omnes causam proximam in systemate nervoso reponunt, ea solum differentia, ut alii activitatem hujus exaltatam arguant, — Weber — dum imminutam nervorum actionem accusant alii — Haase. — Suediauer hypercinesiam, Reil coenesthesim morbosam pro causa m. proxima assignant. Whytt ab ataxia spirituum vitalium, Pomme a crispatione nervorum morbum repetunt. Recentissime Zimmermann: hydrogenisationem super oxygenatione praedominantem — causam morbi statuit.

Morbum de quo loquimur, indolis esse nervosae, — vix est qui in dubium amplius vocaret. Id enim ex parte ipsa ejusdem evolutio demonstrat, quatenus jam dispositio in eum,

certum culturae intellectualitatis gradum praesupponit, est namque morbus classis hominum cultioris; confirmat porro therapia, cura enim psychica optimo adhibetur successu; extra omne dubium vero characterem ejus nervosum ponunt copiosa, quibus insignitur symptomata nervosa, uti: lassitudo muscularis singularis, alienationes et hallucinationes sensuum ex — et interiorum, cumprimis coenesthesia et phantasiae luxuriantiones. — Quaestio idcirco esse solum potest, num alienatio systematis nervosi protopathica sit, vel vero deuteropathica? — seu num phaenomena nervosa morbum hunc insignientia causam adfectionis viscerum abdominalium constituent, vel vero ejusdem effectus?

Res est indubia, affectiones tubi cibarii magnum essentialemque exerere in animum aegri influxum. Videmus quippe per motum antiperistalticum ventriculi, qui sub vomitu obtinet, anxietatem, sensuum obfuscationem, propensionem ad animi deliquium induci: intumescencia membranae mucosae intestini crassi anxietatem inquietudinem causat, unde sensationes has ingratas sub evolutione et moliminibus haemorrhoidum observare licet, ubi purgantia manifestum adferunt levamen; hinc habitualis et chronica alvi tarditas raro cum animi hilaritate incedit. — Similis sed multo notabilior intestini tenuis ad facultatem repraesentandi viget relatio. Jam vero quemadmodum status tubi intestinalis cumprimis intestinorum tenuium in animum influit hujusque conditionem determinat: ita vicissim animus quoque in illa agere potest, et in morbo praesenti reapse agit. Atque haec est causa, cur in hypochondriacis adfectiones viscerum abdominalium omnis generis tam frequentes sint; quin tamen propterea in organis eisdem fundentur, radidentur, ad id enim sunt multiplices admodum et nimis variabiles. Nam experientia docet hypochondriacos penes omnes, quibus affliguntur affectiones diu vivere, raro emaciari, nisi morbi alii cum H. complicentur. Quod in foeminis hystericis luculentius adhuc apparet. Porro scimus hypochondriasi adfectos longo saepe temporis intervallo ab omni morbo

liberos, hilares relativeque sanos esse, absque omni vitae vegetativae perturbatione. Nec ulli subjacet dubio, eos, si jam longo tempore molestiis digestionis affligebantur, subito ab his penitus liberari, sed in vicem earum succedere adfectiones organorum cavo pectoris inclusorum, aut vicissim; verbo: sedem locumque, quo se alienatio vegetationis manifestaverat, mutari, — quae mutationes in Hysteriasi — morbo natura sua cum Hyp. eodem — adhuc frequentius eminentiusque contingere solent; — ut adeo cum certitudine dignoscere et asserere liceat: morbum radices suas figere in systemate nervoso, inque vegetatione eatenus solum semet exerere, quatenus ex illo in hanc reflectitur. Enimvero, si systema quoddam organicum vegetationi essentielle originarie adfectum esset: nutritio sensim pati, forma organorum mutari deberet, atque morbus remittere aut plane intermittere non posset, et si ex uno in aliud systema faceret transitum, adfectio prior non cessaret, verum extensione solum augeretur. Ex quibus convinci facile quisque poterit: morbi naturam esse vere et unice nervosam, omniaque vitae organicae symptomata esse tantum phaenomena medio influxus s. nervosi in eam reflexa.

Ast nunc, in qua parte s. nervosi resideat causa illa proxima, ex qua ceu centro suo exeat? an integrum systema, an pars solum ejus originarie essentialiterque adfecta sit? definire arduum nimis est: quamvis non desint auctores, qui et has solvere conantur quaestiones; quod tamen nonnisi hypothetice cum probabilitate quadam, neutiquam autem certitudine fieri potest.

Ut malum hyp. in organismo quodam evolvi queat, dispositionem hujus in illud offendat, est necesse; talis dispositio subinde cum homine jam nascitur, et quidem nunc a parentibus haereditate contracta, nunc vita foetali in utero matris evoluta; frequentius tamen post nativitatem periodo vitae maxime activa, aetate virili, per potentias diversas nocentes acquiritur.

Influxus tales dispositionem ad morbum generare valentes, praeter educationem mollem, praematuram mentis intentionem, praecipui sunt sequentes: certus culturae intellectualitatis gradus; detinet enim morbus classem hominum cultiorem, quare apud gentes incultas vix occurrit. Haec tamen cultura non tam in cognitionibus, quam potius tantum in assuetudine ad cogitandum fundari videtur; unde morbus in sutoribus textoribus etc. non infrequenter deprehenditur, ob vitae genus nempe et occupationes, quae cum citra attentionem perfici possint, phantasiam evagari sinunt. Atque hinc jam sponte fluit dispositionem adhuc facilius evolvi posse in iis, quibus plurimum a negotiis tempus vacat; otium itaque principalem constituit causam ad Hyp. praedisponentem, illud enim vim somaticam et psychicam debilitando hypererethisiam et hyperaesthesiam inducit, phantasia ultra modum activa remanente, cujus mancipium aeger sensim evadit. Hinc morbus tam frequens in oeconomis, mercatoribus vitam activam cum otiosa commutantibus observatur.

Non tantum otium, sed et occupationes corporis, quae sine attentione perfici valent, ut textores etc. demonstrant; item exercitium mentis unilaterale in consuetudinem abiens, ad Hyp. disponunt, ut morbus in scribis, calculatoribus testatur. Huc confert pariter mentis intentio nimia per studia continua cumprimis in unum objectum directa, aut vero occupationes mentis ad justo plura objecta extensae; hinc morbus evolvitur in omni eruditorum classe, ne medicis quidem exceptis.

Fontem morbi uberem sistit etiam modus, quo stimulus sexualis in juvenibus evigilat, atque jam vicens dirigitur. Non raro namque in pueris jam stimulus iste varia ratione praemature elicitur, qui semel provocatus ad vitia dein clandestina, onaniam inprimis seducit, quae phantasiam accendendo, irritabilitatem exaltando, vires musculares nec non facultates intellectuales debilitando, atque animum serius ob culpae conscientiam continuo lacescendo et angendo: notabi-

lem ad morbum evolvendum ponunt dispositionem; — quam inducere valet etiam continentia et impugnatio libidinis violenta, aut excessus in venere, rarius tamen, nisi directionem nanciscatur contranaturalem. — Et libido excessiva, et continentia summa — jeiuna cupido — sed ex causa contraria, morbi evolutioni favent. Libidinosus enim vitae deliciis ut sic dicam supersaturatus, erga mundum indifferens, Hyp. Melancholiae victima evadit. Alter vero — continens, — deliciarum, quibus carere debet, valorem et dulcedinem exaggerando et ultra quam par est aestimando, pariter in Melancholiam incidit. — Cunctae hae stimuli sexualis abnormitates et somatice et psychice ad genesim Hyp. contribuunt.

Clima et alimenta subinde ad morbum conferre possunt; in genere sub coelo sereno viti vinifera gaudente, ubi vitam homines vivunt hilariorem, minorem offendimus dispositionem, quam sub climate nebuloso humido, ubi cerevisia vini vicem supplere debet. — Nutritio corporis mala, deficiens, penes intensionem mentis, aut contra, mensa lauta penes otium, digestionis turbas inducendo ad morbum quidem etiam disporre, praesentem tamen magis augere valent. Potentiae praedisponentes diu in organismum agentes in causas abire possunt excitantes.

Praeter has, multiplices adhuc ab auctoribus adferuntur caussae excitantes. Ut: aër atmosphaericus quoad temperaturam peccans, et simul humidus vaporibus variis inquinatus; quae causa morbum in Anglia Hollandia frequentiore reddere videtur. Subinde constitutio aëris peculiaris genesi morbi favere dicitur. — Ingesta, cibi copiosi farinacei leguminosi, duri, pingves, multum aromatici, item potus spirituosus, coffea multa inprimis diluta, aut thea; subinde usus incongruus aut protractus pharmacorum solventium, evacuantium roborantium stimulantium narcoticorum. — Porro vita otiosa inprimis in individuis vitae antea activae asuetis; vita sedentaria continua partim ob abdominis compressionem, ut observare est in sutoribus, partim vero et praecipue quidem ob alias

causas: ut exereitium unilaterale, ut phantasia libere divagari possit; quod morbus frequens in aurigis et pastoribus demonstrat, qui motum corporis, illi quidem passivum, hi vero activum exercent sufficientem, sed phantasiae froenum liberum dimittendo, in morbum incidunt. — Nonnunquam morbus evolvitur, dispositione jam praesente, post evacuationes profusas: diarrhoeam, ephidrosim, haemorrhagias, galactirhoeam, inprimis vero post succi genitalis profusionem, praecipue modo contranaturali productam. Non raro ad morbum hunc contribuunt quoque animi adfectus, et pathemata ingrata diu adfligentia: moeror tristitia odium invidia avaritia zelotypia, superbia in iis qui, quin voti damnentur, ad honores et dignitates adspirant. — Subinde ut auctores adnotant, ad producendam hypochondriam morbi alii concurrunt: febris nervosa aut intermittens neglecta diu excurrrens; infarctus abdominales hepatis lienisque, haemorrhoides, morbi cordis et vasorum haematophororum, arthritis: quandoque evacuationes habituales suppressae, aut morbi cutis evanidi etc.; atque per has causas jam pauciores jam plures concurrentes modoque iniquo in organismum agentes, in systemate nervoso praecipue ganglioso peculiaris contingit mutatio dinamica, unde tamquam centro suo functionum vitae tum animalis cum organicae alienationes promanant.

Causis morbum excitantibus praecipuis recensitis antequam ad prognosim transitus fiat, pauca de divisione hujus morbi dicenda sunt.

Hypochondria communiter distingvi solet in H. cum, et sine materia. Materialem vocant H., dum status morborum topici ut infarctus viscerum abd. etc. in corpore deprehenduntur. Dum vero nullum detegitur vitium organicum symptomatibus stricte nervosis solum praesentibus: Hypochondria sine materia nuncupari consuevit. Cum hac veterum divisione, illa recentiorum quorundam aliquatenus congruit, juxta quam Hypochondria, quae e causis somaticis, et alia quae e psychicis procedit, statuitur. — Divisio tamen haec firmo vix innititur

fundamento, sub morbo enim diu excurrente turbas functionum vegetativarum, inque harum sequelam mutationes formae et structurae organicae contingere posse, facile quis perspiciet; hinc jure quaerere licet, an morbi vegetationis, desorganisationes in cadavere repertae, non potius tantum complicationes m. hypochondriaci constituent? — Haemorrhoides cum omni suo molesto comitatu frequenter cum Hyp. simul coexistunt, potest tamen uterque morbus pro se distinctus existere.

Datur autem alia morbi h. differentia, in singulo casu individuali adnotanda; quae nimirum desumitur a conditione energiae vitalis; quippe morbus subinde invadit virum robustum plethoricum, post influxus potentiarum nocentium excitantium, uti animi aut corporis motus violentos, victum lautum, abusum spirituosorum etc.; atque in tali individuo subque talibus adjunctis evolvuntur symptomata Hyp. cum energia vitae exaltata, — H. acuta, sthenica; — est tamen haec species rarior; longe frequentissime energia vitalis caractere debilitatis notatur, erethismo solum locum habente; talisque, decursum chronicum amans — H. asthenicae, erethisticae — nomen gerit.

P r o g n o s i s.

Cum prognosis morbi, cognitioni terminationum conditionumque sub quibus hae terminationes sequuntur, innitatur; hypochondria vero decursum adeo irregularem habeat, ut exitus quidem varios sed minime constantes et regulares petat: elucet in morbo hoc proteiformi de prognosi striete tali vix sermonem esse posse; hujus loci itaque erit in genere saltem terminationes, et sub quibus hae contingere soleant, conditiones, paucis indigitare. Hypochondria propectam saepe comitans aetatem pro se nunquam enecat, immo observationibus confirmatum habemus hypochondriacos minorem erga morbos alios praeprimis epidemicos possidere receptivitatem; febres

inflammatoriae, dyssenteria, typhus etc. iis ut plurimum parcere solent, si epidemice grassentur; excepta forte febre intermittente; — et si morbis his corripiantur, mitissimum observant decursum. Affectiones tamen catarrhosae, rheumaticae, dyspepsiae, subinde erysipelas hypochondriacis frequenter insidiari solent.

Licet autem morbus simplex nullo periculo stipatus in senam usque senectam protrahatur: inveteratus tamen, neglectus aut perversè tractatus, cum vitio quodam organico complicatus, infaustos petere potest exitus; talis namque arti saepe omni rebellis in alios terminare consuevit morbos periculi plerumque plenos; uti in febrim hecticam — quae est potissimum congestionum perpetuarum progenies; — in tabem s. emaciationem lentam — plerumque onaniae effectus; — in hydropem — non infrequenter curae incongruae sequela — quandoque in paralyses. Tristissima autem terminatio est: in vesaniam, Melancholiam, Autochiriam. Transitus in morbos convulsivos apud viros hyp. admodum rarus est.

T h e r a p i a.

Nihil est, quod ingenium medici magis exercere, patientiam ejus acrius tentare valeret, ac cura mali hypochondriaci. Quam difficile enim opus sit morbum hunc tractare, vel et denominationes morbi apud veteres usitatae indicare videntur, qui eum matrem morborum, patrem symptomatum, bestiam septem capitum, nec non ludibrium opprobriumque medicorum vocant. — Et non injuste, omnis enim animi adfectus, omnis in diaeta excessus, novum invitare solet insultum, annihilatque omne id, quod per curam longiorem magno cum fatigio jam obtinuimus.

Medicum itaque quemadmodum omni tempore, praeprimis tamen cum arduo huic semet accingit operi, humanum mansuetum, patientia singulari munitum, ad cunctas non raro absurdissimas aegroti summe inconstantis ac diffidentis inconse-

quantias imo injurias aequo semper animo perferendas paratum esse oportet; idcirco dum consulimur, historiam morbi etsi non brevem attente suscipimus, querelis aegri faciles praebendo aures symptomata, praecipue quae eidem momentosa videntur, diligenter consideramus, ut hac ratione confidentiam — tanquam necessariam curae felicitis conditionem — lucremur; eum nunquam pro imaginario declaramus, sic enim animum ejus nobis alienum reddendo nostro excideremus scopo; sed neque terremus, quod fieret si de gravitate morbi periculoque loqueremur, utique nimio angitur metu, quem cum augeremus, morbi simul vim intenderemus. — Generatim vero summam hoc sub examine in nostris, quae proferimus, verbis adhibere oportet cautelam; cum enim hypochondriaci singulas, quas medicus pronunciat, voces, quin imo et minimas, quae in faciei lineamentis contingunt, mutationes quodammodo aucupari soleant: fit, ut verbo minus caute prolato aliam longe impertiant significationem, cui dein judicia, conclusiones falsissimas superstruunt. Subinde tentare solent medicum, num enumerata morbi phaenomena memoria adhuc teneat; alias astuti plane falsa, ut medentem in errorem inducant, studiose enarrant; atque si id ex voto eis succedat, eum qua ignarum contemnunt, sin minus, per apertam medici negationem nimis irritantur; quare simili in casu directe non est contradicendum, sed aeger quaestionibus implicandus, ut semetipsum contradictione prodat, ac dein primum de errore simulque de eo, quod eum plene perspiciamus, convinci poterit; per quod et confidentia ejus multum augetur.

Examine diligenti finito plerumque pharmacum quodpiam ordinandum ejusque effectus praevie assignandus est, atque si confidentiam sibi medicus jam mernit, effectus quoque remedii praecipue novi vix non semper saltem pro tempore optatus esse consuevit. Interim et hoc in puncto medicus cautus sit, est necesse; nam hypochondriaci in scriptis medicorum, plerumque tamen pessimis non mediocriter subinde versati, omnes sibi praescriptas formulas scrupulose perlegere solent.

Neque medicus quantumcunque circumspectus praecavebit, ne praeter ordinatam medicinam simul et alia incongrua et noxia saepe in usum vocentur; quam fraudis speciem si animadverterit, eis nunquam exprobrabit, verum tantum illatum sibimetipsis damnum ob oculos ponendo a similibus mansuete abhortabitur.

Datur autem cura duplex, palliativa scilicet et radicalis. Prior hocce in morbo magnam quidem sibi vindicat auctoritatem, semper attamen radicalis, cui illa subordinanda, ante oculos habenda est, nilque agendum, quod eadem prohiberet; et ab hac medicus semper procedet, ut valorem palliativae determinet. Sic congestiones aut pertinax alvi constipatio reposcere videntur sanguinis evacuationem aut pharmaca purgantia, quae remedia adhibita effectum etiam praestant optatum, levamen enim temporaneum adferre vix non semper solent; ast cum morbum ipsum, qui in exaltata vitalitate partis cujusdam systematis nervosi fundatur, tollere non valeant, imò congestiones et alvi obstipationem sensim habituales invitando semper augeant, patet: remedia illa palliativa in casibus nonnisi urgentibus esse adhibenda. De cura hac palliante, quae tempore insultus hyp. locum potissimum habet, infra dicetur.

Curam radicalem suscipientes potissimam in exquirendas potentias nocentes adhibere debemus attentionem, quas plerumque successive tantum detegendas remove studemus; cumque causae morbum excitantes praecipuum suum fontem in vitae regimine incongruo agnoscant: illud ante omnia rite coordinandum ac dirigendum est. Spectant vero huc: aër, cibi et potus, somnus et occupationes aegri.

Aura hypochondriacis convenit pura sicca moderate calida; idcirco vestes anni temporibus tempestatisque vicissitudinibus accomodandae. — Victus in genere sit blandus, nutriens tamen; caro animalis tenera cibum hoc scopo sistit saluberrimum, digestu facilem, flatibus minime faventem. Praeter carnem tamen et olera, fructus horraei maturi etc. in usum

vocari possunt. Generatim quidem organis digestionis adhuc rite fungentibus alimenta non sunt anxie seligenda, sed tantum attendendum, ne cibus duris, pingvibus, copioso sale aut aromate conditis, vel mole excedentibus ventriculus laedatur. Potum non raro maxime salutarem constituit aqua pura, cujus solius usu, testante jam Theden, hypochondria gravissima subinde sanatur; nec tamen omnibus major aquae quantitas conducit, utpote quae digestionem usu protractioni languidiorem reddendo, dyspepsiam inducit morbumque auget; quare multis praeter aquam concedimus simul usum moderatum spirituosorum: vini antiqui, aut cerevisiae bonae. Etiam infusum vel decoctum coffeae, tametsi a multis condemnetur, proficuum hypochondriacis largitur potum, modo excessivus ejusdem non fiat usus, nec surrogata varia adhibeantur.

Peculiaris attentio in somnum dirigenda est. Notatu enim dignissima inter systema n. gangliosum et cerebrale intercedit differentia; hoc enim defatigatur, illud non. Respiramus quippe, digerimus, secernimus, omnia sub influxu S. gangliosi — citra omnem fatigationem et quietem; systema vero cerebrale non fert unum eundemque imaginandi modum, systema musculare non idem motus genus; sensus omnes non ferunt easdem continuo impressiones: quin defatigantur, exhauriantur. Verbo non valet systema nerv. cerebrale sine interruptione suum persequi scopum, sed periodice vegetationi subjacet tempore nimirum somni; per hunc itaque vires s. n. cerebrealis reficiuntur, restaurantur. Jam vero cum in hypochondriacis plurimum intersit, ut systema cerebrale, normale suum super systemate ganglioso praepondium iterum nanciscatur — Horn — patet: somnum tranquillum constituere unam e principalibus curae felicitis conditionibus. — Is vero non tam violento modo per narcotica procurandus, quam potius per impedimentorum somno oppositorum remotionem invitandus est. Impedimenta haec remediis diaeteticis arcenda et removenda praecipua sunt: irritationes psychicae, congestiones ad caput, irritamenta organorum abdominalium et imprimis stimulus sexua-

lis. Cum vero de his plerisque alibi fiat mentio, hic adnotasse sufficiat: coenam praegresso moderato corporis motu sumendam esse nutrientem quidem sed digestu facilem, non stimulantem nec flatulentiis faventem; inter coenam et decubitus intervallum intercedat paulo longius, somnus enim secundae digestionis protractior tranquilliorque esse consuevit; temperatura cubilis obscuri frigidiuscula potius quam calida procuretur; aëre, remotis omnibus odoriferis, puro reddito, omnis major arceatur strepitus, levior tamen et monotonus v. c. pulsus horologii somnum magis invitare solet, ac altum silentium. Pedibus frigidis existentibus hi calore foveantur.

Partem curae momentosam constituit distributio ac directio occupationum, quibus aegri continuo fere detinendi sunt. Plurimi namque manifesto diffluunt otio; multi vero actis librisque circumdati occupari videntur, et tamen otiantur imaginationi indulgentes; alii demum labori incumbunt, sed unilaterali. Atque pro hac diversitate occupationes congruae jam sunt assignandae, jam consuetis novae substituendae, aut si id fieri non potest, eis alia saltem directio danda. — Ast difficillimum hocce curationis momentum, quod ex parte medici non solum intimam aegri ejusque rerum domesticarum cognitionem, sed et non mediocrem Anthropognosis gradum, simul audaciam et cautelam requirit, frequenter executioni dari non potest; saepe enim aeger clandestino premitur moerore, quem medicus non levare; alium angunt curae panis quas non tollere; consumit amor infelix alium, cui medelam medicus ferre non valet. Interim et hic consolatio mansueta benevolumque consilium multum saepe praestant.

Ad otium itaque evitandum jubeantur aegri mature lectum deserere, atque in aura libera salubri corpus motu activo exercere usque lassitudinem muscularem non tamen dolorificam vires exhaurientem. Suscipi autem potest motus diversus: ambulatio in regione amoena; equitatio, vectio in rheda, praesertim si ipse aeger equos gubernet, ut sic attentio a statu proprio abstrahatur. Porro natatio navigatio, la-

bores diversi agrarii, horti cultura, exercitia gymnastica, labores mechanici. Inter omnes tamen motus species eminent venatio; haec enim occupatio, sub qua non solum corpus activo exercetur motu, aura inspiratur recens pura, verum insuper attentio aegri a statu suo proprio in feras aliaque derivatur objecta: saluberrimum in hypochondriacos exerit influxum, longe alium ac ambulatio, quae, praecipue solitaria phantasiae luxurationi adhuc favet; quandoquidem otium non tantum qua motus defectus, morbi genesim promovet, sed simul et quam maxime, quatenus inaequale facultatum intellectualium exercitium inducit; uti hoc pastores, aurigae evincunt, qui licet motu corporis non destituantur, tamen ob imaginationem evagantem morbum contrahunt. Similiter neque sub vita sedentaria in opificibus, artificibus, scribis etc. sola sessio sequelaque hujus mechanica omnem involvit morbi causam: verum potiore ejus partem sequela harum occupationum psychica sibi vindicat; qui enim sedendo perficiuntur labores, plerique circa unum semper rotantur objectum, deest mutatio et vicissitudo, quo fit, ut memoria attentioque debilitetur, phantasia vero superpondium sensim nanciscatur; ad cujus normam restituendam necesse est, ut, si occupationes illae deseri nequeant, iis saltem aliae interserantur, ad quas perficiendas et ceterae quoque facultates in subsidium vocari debent, ut sic praepondium phantasiae sensim iterum evanescat.

Omni tempore scopo animum exhilarandi vitaequae genus mutandi commendata sunt itinera, quae quatenus aegros a consueto vivendi modo objectisque non raro odiosis abstrahunt influxibusque novis exponunt, proficua sunt; iter tamen in rheda omnibus instructa commodis, praesertim solitarium nil fere aliud est, ac otium; magis itaque adhuc commendari meretur iter pedibus conficiendum per regiones montosas in societate hilari; quo spectant excursions botanicae mineralogicae zoologicae. — Iter maritimum breve pariter prodest, longius vero morbum auget.

Ubi aeger motus hos suscipere non valet, in vicem illorum instituitur frictio abdominis quotidie mane, sola manu vel panno aspero perficienda; imo frictio totius corporis proficua est; sustentatur enim per eam transpiratio cutis necessaria; quo scopo et cutis, aqua tepida saponata frequentior ablutio adhiberi meretur.

Simul evitari debent causae omnes corpus nimis excitantes vel debilitantes, praeprimis evacuationes spermatis, studia item intensa, nec non animi adfectus praecipue depri- mentes. Quare conatum aeger adhibeat, ut hilarem semper et tranquillum conservet animum, quod obtinebit per conversationem cum hominibus cultis jucundis, per lectionem librorum similium, frequentationem comoediorum risum moventium, musicam amoenam et s. p.

Vitae regimen omni sua extensione recte coordinatum ac rite executioni datum ad curam morbi h. faustam ita essentialiale et necessarium est, ut sine illo per pharmaca sensu stricto talia sola adhibita nihil proficiamus; cum e contra, quin ulla in usum vocentur medicamina, morbum non infrequenter regimine illo strenue observato feliciter sufferri videamus. Homoeopathia idcirco optima est pro hypochondriacis medicina; egent enim plerumque cura solum psychica, quae phantasiam eorum morbose exaltatam refroenet, dirigat. Tantum diaeta admodum restricta non est suadenda, per hanc enim aegri, ad jejunia utique proni, organa digestionis debilitant, unde fit, ut subsequentes dein, quos virium restaurandarum gratia non raro comittere solent excessus, pejores adhuc inducant effectus; quos cum, ut consueverunt, ultra modum amplificent, semet immoderantiae arguendo animumque angendo morbi vim multiplici augent ratione.

Saepe tamen ad statum organismi normalem reducendum praeter vitae regimen aliis opus est artis auxiliis, diversis pro diversitate complicationis atque causarum morbum sustentantium hujusque sublationem impredientium; quas remove conamur. Profluvia quippe, si quae adsunt morbosa imminui-

mus, sistimus; retentiones e contra abnormes tollimus; morbum alium organismo insidiantem forte in corde cerebro etc. existentem, individuali impugnamus therapia.

His remotis, ut statum dinamico-organicum systematis nervosi peculiariter abnormem symptomata hypochondriae sustentantem ad normam reducere valeamus: characterem energiae vitalis dynamicum cognoscere ac definire adnitimur; atque in hunc inquirentes deprehendimus subinde activitatem vasorum haematophororum inprimis cordis arteriarumque morbose exaltatam, de qua nos aegri aetas, corporis constitutio, potentiarum nocentium influxus nec non symptomata praesentia informant; atque hoc in casu methodus medendi antiphlogistica, debita cum circumspectione adhibita, morbi vim infringere solet. Saepe jam sufficiens est vitae regimen antiphlogisticum, purgantibus simul, alvo obstipa id petente, salinis vel clysmatibus emollientibus, caute, ne evacuatio profusa contingat, in usum vocatis. Subinde tamen symptomatibus urgentibus inprimis congestionis ad caput apoplexiam minantis — sanguinis depletio jam universalis, jam quod frequentius fit, topica hirudinum vel cucurbitularum cruentarum ope in subsidium vocari debet; et dum de characterem energico convicti sumus, longiori tempore methodus antiphlogistica mitior continuanda erit. — Ast meminisse oportet, per hanc methodum debilitantem praecipue laticis cruenti detractioem, hypochondriacis generatim plus detrimenti quam emolumenti inferri; congestiones enim illae rarissime sunt indolis phlogisticae, energicae; symptomata earum inducuntur solummodo per hypercinesiam; atque in simili casu methodus allata aegro foret perniciosa, sanguinis jactura morbi augmentum post se traheret, et saepius repetita hydropem invitaret. Ad has itaque congestiones molestas dolorificasque sufferendas et praeventendas, non secus ac ad pulsationem tollendam, simplicissimum optimumque sistit remedium: aqua frigida; lotio nimirum cutis universae vel plagae ejusdem majoris quotidie suscipienda. Frigus enim irritabilitatem ner-

vorum cutaneorum et per consensum eam quoque systematis n. universi imminuit; activitatem vero vasorum minimorum capillarium exaltat, sicque simul ob lenem hanc cutis irritationem tantisper revellendo, ad congestiones quoque internas tollendas confert. Effectus namque immediatus est, quod vasa cutanea pleniora reddantur, calor et transpiratio augeantur.

Quod congestiones has sub insultibus praeprimis locum habentes in specie concernit: ea capitis prae ceteris frequentius characterem sthenicum agnoscit, activa est; hirudinibus retro aures apponendis, fomentis capitis frigidis item pediluvii tepidis resolvenda. Si vero congestio haec per hypercinesiam solum sustentetur, quod plerumque contingit: tunc aegro in quiete aëreque puro locato, extremitates frigidae pannis calidis foveantur, frictio cutis instituitur, in lipothimia odoramenta admoventur, simul exhibendo parva quantitate infusum tepidum flor. Chamom; fol. aur. etc. additis paucis Liq. anod. min. aut similium guttis. His insufficientibus recurrimus ad oenemata excitantia, ad epispastica. — Congestiones in pectus rarissime energicae, foeminis hystericis cum primis propriae, subinde periculosae suffocatione enecantes, aut haemoptysim phthysi vera excipiendam inducentes: requirunt clysmata irritantia, pedum calefactionem, cutis irritationem etc. interne assam foetidam, Tincturam lobeliae inflatae; sunt enim tantum adfectiones spasmodicae. — Congestionibus in ventriculum contingentibus: aqua frigida, pulveres acidum carbonicum evolventes adhibentur. Dum intestina tenuia afficiuntur: purgantia salina plerumque levamen adferunt; usus tamen horum non diu protrahendus; experientia enim docet purgantia diu et frequenter adhibita congestiones augere habitualesque magis reddere. Recta remedia potius constituunt: victus nutriens, cibi lactei, acidum carb. sub omnibus formis, oenemata et purgantia solum sub insultu pertinaci. Intestino crasso adfecto: clysmata emollientia, injectiones aquae frigidae etc. curam palliativam efficiunt.

Saepe characterem dynamicum morbus profitetur asthenicum, qui methodum poscit roborantem, cautissime tamen administrandam. Cum enim in hypochondriacis plurimis status dinamico-organicus viscerum abdominalium abnormis per lienis hepatisque infarctus semet manifestans deprehendatur: remediis roborantibus, quae hoc in casu nociva evaderent, praemittenda sunt solventia blandissima; succus herbae taraxaci, cichorei, vel extracta eorum in sero lactis, vel infuso aromatico. Salutari efficacia pollent quoque acidulae, initio

blandiores alcalinae particulis ferreis aut nullis aut exigua quantitate scatentes, quales sunt ad Szalatnya Ránk Füred Borszék; in Germania eminent: Egeranae, Marienbadenses, Kissingenses — in Bavaria —; quibus tamen omnibus palmam praeripiunt aquae thermarum Carolinarum. — Contribuit ad virtutem aquarum soteriarum exaltandam simul itineratio, vitae ratio mutata, regio amoena, aura salubris, conversatio et s. p. — Interim et aqua thermarum Budensium vel sola vel addito Therm. Carol. sale, sub motu corporis moderato hausta, proficua est.

Infarctibus solutis transimus ad roborantia, principio amara simplicia, ut extr. Quassiae etc. tardius amaro-aromatica, gummiresinosa, aetherea; — quae tamen stimulantia nonnisi statu asthenico torpidiore existente, neque diu adhibenda sunt. Debilitati namque chronicae magis respondet usus congruus praeparatorum ferri: Tincturae malatis ferri, extr. martis pomati, ferri carb. — sulphurici artef. etc. forma et dosi cuilibet medicorum notis. His omnibus saepe praestantiores sunt aquae martiales. — Nonnunquam et cortex peruv, in usum vocatur.

Tametsi autem pharmaca haec in morbo hoc utilissima saepe sint: memoria tamen semper tenendum, remedia adhibenda esse quam paucissima, nisi plus obesse quam prodesse velimus; aegroti quidem continuo et impetuose expetunt pharmaca, eo tamen non obstante usum eorum interrumpimus saepe, non raro penitus seponimus; unde Homoeopathiae. Magnetismi etc. usus et felix successus intelligitur.

Externa non raro majorem ac interna remedia praestant utilitatem. Uti clysmatum moderatus usus; balnea ad erethisiam imminuendam frigida, in lacu, fluvio, mari. Qui haec bene non ferunt, iis tepida conveniunt. Sub gradu astheniae majori, balnea roborantia, aluminosa, martialia adhibentur.

Non infrequenter aegri symptomatibus quibusdam multum anguntur, adfliguntur, contra quae impense auxilium quaerunt, — therapia rationali removenda. Sic alvum pertinaciter constipam reserare conamur purgantibus primo blandissimis alvum solum facilitantibus, qualia sunt: fructus dulces, mel, sacharum et similia. His haud sufficientibus carbonatem magnesia, vel sulfatem Sodae lixivae etc. propinamus; quibus saepe praestant: aqua Pülnaensis, Seidschützensis Sedlicensis. Subinde tamen torpore tubi intestinalis altiori praesente, purgantia requiruntur potentiora, folia sennae, radix rhei, extr. aloes etc. Cum quibus caute incedendum; per purgantia etenim tantum abest, ut morbus frangatur, ut potius

per ea diutius in usum tracta, functione tubi intestinalis libefactata, augeatur. Quare curandum, ut aeger, congruum semper regimen observando, motumque corporis justum quotidie instituendo, alvum conservet liberam; adque purgantia remedia, — quae frequenter in usum vocata receptivitatem tractus intestinalis adeo obtundunt, ut desideratum non amplius producant effectum — nonnisi summa in necessitate recurrat. — Ructus acidi, pyrosis et flatus, quibus aegri molesantur, si symptoma saburrae constituent, hujus reposcunt eliminationem, qua secuta, si adfectiones memoratae perdurent, alcalina ut absorbentia indicata sunt, quibus stimulantia blandissima junguntur. Flatulentiae post usum horum adhuc persistenti optime opponuntur olea aetherea: Chamomillae, foenic. etc. forma elaeosachari adhibita, subin et parca dosi liquores aetherei. — In genere tamen, ut jam repetite monuimus, notandum, sub insultu hyp. etiam graviore nulla vel pauca adhibenda esse pharmaca; verum eodem silente cura debite coordinanda, ne morbus molestus amplius revertatur.

T h e s e s.

1. Medicina rationalis — castae omnis aevi experientiae resultatum — quibuscunque agitetur theoriis, aeterna est.
 2. Hypochondriacorum inconstans in medentem confidentia suam in malo ipso habet causam.
 3. Causa Hypochondriae proxima in systemate nervoso residet.
 4. Confidentia aegri summum Therapiae adminiculum.
 5. Nemo plus Religionis habere tam facile potest, quam medicus. — Stoll.
 6. In praxi pauperum vilioris pretii ac proin inquilina prae exoticis — ceteris paribus — seligenda sunt medicamenta.
 7. Existentia febrium essentialium negari non potest.
 8. Therapia, quo ceteris paribus simplicior, eo tutior.
 9. Autocratia Naturae plurimos sanat morbos. Propterea tamen
 10. Genus humanum Medicina carere non potest.
 11. Phantasia multorum morborum mater et medela.
 12. Medicina psychica minime spernenda — Musica.
-

